



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Academia Peccatorvm. Seu Conciones De Tota Parabola Prodigi Euangelici

Quae Insolentia Peccatorvm Sev De Lvxv et Libidinibus Prodigi

Bosquier, Philippe

Moguntiae ; Coloniae, 1614

Interpretatio Syriaca.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55916](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55916)

INTERPRETATIO SYRIACA.

- 11 **E**T dicebat eis rursum Ieschua, Vir quidam habebat filios duos: 7.
- 12 Et dixit ei filius eius minor natu, Pater mi, da mihi partem qua mihi contingit ex domo tua. Diuisit itaque eis possessionem suam. 2.
- 13 Paucis autem post diebus collegit filius ille minor quacumque ad se peruenerant, & profectus est in regionem longinquam, & illic dilapidauit substantiam suam dum profuse uiueret. 3.
- 14 Quumque consumpsisset quicquid habebat, fuit fames magna in regione illa, & cepit egere. 4.
- 15 Abiens itaque sese adiunxit vni ex filiis ciuitatis (ciuibus) regionis illius & ille misit eum in villam, vt pasceret sues. 5.
- 16 Et concupiscebat implere ventrem suum ex siliquis illis quas edebant sues, & nemo ei dabat. 6.
- 17 Quumque ad se redisset, ait, Quot sunt nunc mercenarij in domo patris mei qui abundant pane, ego vero hic fame pereor. 7.
- 18 Surgam, proficiscar ad patrem meum, & dicam ei, Pater mi, peccaui in caelum & coram te: 8.
- 19 Neque amplius sum dignus qui vocer filius tuus: fac me vt vnum ex mercenarijs tuis. 9.
- 20 Surgens, igitur venit ad patrem suum, quumque adhuc longè abesset, vidit eum pater ipsius, & misertus est eius: & accurrens incidit in collum eius, & eum deosculatus est. 10.
- 21 Dixit autem ei filius eius, Pater mi, peccaui in caelum, & coram te: neque sum dignus qui vocer filius tuus. 11.
- 22 Dixit vero pater ipsius seruis suis, Depromite stolam 12.

- stolam primam & induite eum, & ponite annulum
in manum eius, & calciate eum soleis.
13. 23 Et adducite mactate bouem saginatum, & edamus ac oblectemur.
14. 24 Quia iste filius meus mortuus erat, & reuixit; perierat, & inuentus est: ceperantq; oblectari.
15. 25 Ipse autem filius eius senior erat in villa. quumque venisset & appropinquasset domui, audiuit vocem concentus multorum.
16. 26 Et aduocauit unum ex pueris, & sciscitatus est ab eo, quid istud esset.
17. 27 Dixit ei, frater tuus venit: & mactauit pater tuus bouem illum saginatum, quod sanum eum receperit.
18. 28 Et indignatus est, noluitq; introire. Egressus autem pater eius, efflagitauit ab eo.
19. 29 Is vero dixit patri suo, Ecce tot annos seruo tibi seruitutem, nec vnquam transgressus sum mandatum tuum, nec vnquam dedisti mihi hadum, ut oblectarer cum amicis meis.
20. 30 Huic autem filius tuo quum profuderit possessionem tuam cum meretricibus, & venit, mactasti ei bouem illum saginatum.
21. 31 Dixit ei pater ipsius: Fili mi, in omni tempore tu es mecum & omnia mea tua sunt.
22. 32 Oblectari autem nos oportebat, & gaudere, quod iste frater tuus mortuus erat, & reuixit, perierat, & inuentus est.

Sic habet Benedictus Arias Montanus Hispanensis in Bibliis variarum linguarum à Plantino impressis.